Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Euangelia, Pauli epistolae, Apocalypsis, Actus apostolorum, Canonicae epistolae, libri Machabeorum I. II. - Cod. Aug. perg. 90

[S.l.], [1. Hälfte des 13. Jh.]

Hieronimus: prologus ad Damasum papam in quatuor evangelia

urn:nbn:de:bsz:31-11849

Visual Library

In usum M. Joan. Alberti Parochi Eppingensis, Decani R. Cap. Wimmingensis.

O JESV mi dulcissime
Per Evangelica dicta deleantur
peccata nostra et delicta.

Ad honorem DEI et S. Marci Evangelistae commemorationem piam Ecclesiae Maiori me libentissime donavit M. Joan. Albertus Parochus Fraun-feldensis An 1624, 19 Martij.

G. B. HOFBIBLIOTHEK KARLSRUHE

Incipit prologus sancti Jeronimi presbiteri ad damasum papam in quatuor evange

Novum opus me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria scripturarum toto orbe dispersa quasi quidam arbiter sedeam et quia inter se variant, que sint illa que cum greca consentiant veritate decernam. Pius labor, sed periculosa presumptio, iudicare de ceteris ipsum ab omnibus iudicandum, senis mutare linguam et canescentem mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus, cum in manus volumen assumpserit et a saliva quam semel imbibit viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpat in vocem, me falsarium me clamans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere. Adversus quam invidiam duplex causa me consolatur, quod et tu qui summus sacerdos es fieri iubes, et verum non esse quod variat etiam maledicorum testimonio comprobatur. Si enim latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus: tot sunt exemplaria pene quot codices. Sin autem veritas est querenda de pluribus, cur non ad grecam originem revertentes ea que vel a vitiosis interpretibus male edita vel a presumptoribus imperitis emendata perversius vel a librariis dormitantibus aut addita sunt aut mutata corrigimus. Neque vero ego de veteri disputo testamento, quod a septuaginta senioribus in grecam linguam versum tertio gradu ad nos usque pervenit. Non quero quid aquila quid symmachus sapiant, quare theodotion inter novos et veteres medius incedat. Illa vera interpretatio quam apostoli probaverunt. De novo nunc loquor testamento, quod grecum esse non dubium est, excepto apostolo matheo qui primus in iudea evangelium christi hebraicis litteris edidit. Hoc certe cum in nostro sermone discordat et diversos rivulorum tramites ducit, uno de fonte querendum est. Pretermitto eos codices quos a luciano et esychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio, quibus utique nec in veteri instrumento post septuaginta interpretes emendare quod licuit, nec in novo profuit emendasse, cum multarum gentium linguis scriptura ante translata doceat falsa esse que addita sunt. Igitur hec presens prefatiuncula pollicetur quatuor tantum evangelia, quorum ordo est iste: matheus, marcus, lucas, iohannes, codicum grecorum emendata collatione sed veterum. Que ne multum a lectionis latine consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum que sensum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant. Canones quoque quos eusebius cesariensis episcopus alexandrinum secutus ammonium in decem numeros ordinavit, sicut in greco habentur expressimus. Ut si quis de curiosis voluerit scire que in evangeliis vel eadem vel vicina vel sola sint, eorum distinctione cognoscat. Magnus siquidem hic in nostris codicibus